



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 1. In quo consistat Ars memorandi, & quænam sint numera eius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

Disp. XXXII. De Memoracione Quæst. I. 361.

3. Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit. 4. Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiciuntur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atque ubi ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare. 5. In acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. 6. Si qualia oportet purgari purgantur, confert, & facile ferunt. Si contra difficulter. 7. Somnus atque vigilia vtræque, si modum excesserit, malum. 8. Non satietas, non fames neque aliud quidquam, quod modum naturæ excesserit, bonum. 9. Spontaneæ lassitudines morbos prænuntiant. 10. Quicumque dolente parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. 11. Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere. 12. Non pura corpora, quanto plus natries, tanto magis lædes. 13. Vbi fames, laborandum non est. 14. Acutorum morborum non omnino sunt certe prænuntiationes aut salutis, aut mortis. 15. Quicumque morbi ex repletionem sunt, curat euacuatio: & quicumque ex euacuacione, repletio, & aliorum contrarietas. 16. Eius, qui ex agritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum. 17. In quouis morbo mente consistere, & bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum. Contrarium verò malum. 18. Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat. Quibus adde. 19. Affectum omnis intemperantie in astrictione nimia vel fluore, in excessu, vel defectu nimio versari. 20. Contraria contrariis curari. 21. Similia similibus conseruari. 22. Fluxum fluxu prouocari. 23. Parua incendia magnas vires neglecta sæpe assumere, & ideo malorum principis occurrendum. 24. Remedia pro ratione naturæ, & affectus variè temperanda. 25. Turpe rescindendum, ne pars sincera trahatur. 26. Nullum violentum perpetuum, moderata perdurare. 27. Omnem mutationem subitam ad contraria periculosa. 28. Paulatim sensimque transeundum ab extremo ad extremum. 29. Concocta medicari, non cruda oportere. 30. Quæ relinquuntur ex morbis tollenda, ne recidiam pariant, & alia huiusmodi sexcenta.


14 Deinde suppono. Id esse intellectui nostro intelligibilem analogiam, quod est oculis visibilibus pulchritudo aut auribus audibilem harmoniam. Idcirco nobis in omni omnino sermone seu prosa: soluto, seu metro alligato id maxime omnium arridet, atque delectat, quod analogiam præ se fert, siue in illa fundatur. Vix enim vllum conceptum acutum aut dictum quouis modo gratum, vel audimus, vel cogitamus, quod non præ se ferat analogiam, siue in ea fundetur. Vt cuique reflectenti animaduertentique notum fiet. Ob id etiam Parabola, Apologi, Fabulae, Enigmata, & cætera huiusmodi, quæ penitus subnixæ sunt analogiæ rerum, tam apta sunt ad delectandum intellectum, atque adeo etiam tam efficacia ad permouendam voluntatem. Quorum profecto duæ sunt causæ valde notandæ. Prima quod nihil connaturalius est nostro intellectui quam parabolice, siue enigmaticè, atque adeo analogicè intelligere, hoc ipso quod cuncta omnino insensata per phantasmata sensibilia tanquam per substituta eis analogicè adsimilia, atque adeo tanquam per quedam enigmata, siue parabolas connaturaliter intelligit, prout latè ostendimus, & explicauimus, supra disp. 2. quæst. 3. Secunda, quod ad intelligendam & percollandam veritatem rerum præsertim abditarum, & à sensibus remotiorum apertissimum medium est analogia quam aliæ nobis

Phæus Scient. Tom. 1.

magis notæ cum illis habent. Propterea Deus omni tempore tum Legis veteris tum nouæ ad loquendum cum hominibus tum per suos Prophetas tum per se continuo vsus est sermone analogico, pleno videlicet parabolis, apologis, & enigmatibus. Quinimo totam Legem antiquam cum omnibus euentis eius figuram quandam atque adeo quasi parabolam siue apologum Legis voluit esse Euangelicæ. Vt videant Prædicatores Verbi Dei quantum debeant (imitando Verbum ipsum sub carni mortali loquentem) parabolas in suis Sermonibus, seu publicis, seu priuatis ad permouendum Fidelium animos frequentare. Quamque exitialis abusus sit consulto & per despectum quemquam ab eis abstinere.

Ex his iam satis superque quam magna sit quamque mirabilis in scientiis humanis, præsertim quæ quouis modo ordinantur, siue spectant ad mores, vis translationis, de qua tractauimus cuius duo munera sunt ut constat ex dictis quæst. 1. quorumuis omnino extremorum analogorum aut ignotum ex noto inferre, aut minus notum per magis notum explicare.

Restat dicamus, quo pacto ad praxim sit deducendum hoc instrumentum, ut suas quas habet, exeat vires & suos, quos potest, in scientiis fructus producat. Dico vno verbo, non aliter quam illud iungendo instrumento combinationis. Ita quidem ut dum combinatio exercetur vica quasuis res vniuersi, aut circa quasuis omnino obiecta scibilia prout disp. 19. latè docuimus, in omnibus extremis inter se mixta combinatione collatis præter alia, quæ ibi animaduertenda attenteque inspicienda monuimus, insuper eorum analogia aduertatur, & inspicatur, quæ ut pote ab ipsis extremis indistincta reipsa, ipsis inspectis statim se proderet & innotesceret. Quæ quidem cognita nactus eius est colligendus, & obseruandus, qui est, ut iam diximus, vel scientia illatiua veritatis ignota per suam analogatam notam, vel notificatio explicatiua veritatis obscuræ per suam analogatam clariorem.



DISPUT. XXXII.

De Memoracione.



Memoracionem dicimus Artem memorandi siue iuuandi Memoriam, ut recorderetur præteritorum, siue antea intellectorum. Quæ quidem Ars iure inter instrumenta sciendi recensetur, parsque, & quidem ex magis præcipuis, ponitur Artis vniuersalis sciendi. Scire enim cum fructu sine memoria retinere seruareque in thesauro suo, quod scitur, impossibile est. Quare Ars iuuans ad memorandum non potest non eo ipso esse ars iuuans ad sciendum. De ista igitur arte memorandi suscipitur disputatio præsens.

QVÆSTIO I.

In quo consistat Ars memorandi, & quanam sint munera eius.

Suppono primo ex dictis supra disput. 1. quæst. 3. hypoth. & seqq. in nobis esse memoriam non solum sensitivam. Qualem & bruta quoque animalia habent, sed etiam intellectiuam; facultatem scilicet animæ nostræ realiter ab intellectu indistinctam, quæ

H h

reco

recordamur eorū, quæ antea intelleximus uti experientia manifestat. Quod utique fit mediis speciebus, quæ ex primariis intellectibus relinquuntur impressæ in ipso intellectu, & postea excitata simul cum illo recordationem, siue intellectiōem memoratiuam causant eorundem obiectorum, quorum prout antea cognitorum species sunt. Excitantur autem eiusmodi species ad tales intellectiōes memoratiuas procreandas aut ab aliqua alteratione physica nascente vel à causa interna præcise, vel etiam ab externa, aut ab aliquo affectu seu appetitu sensitui, seu voluntatis, aut ab aliqua cognitione seu sensuali, seu intellectuāli alterius obiecti. Quod cum memorandi aliqualem aliquo modo habet aut ordinem, aut cognationem, aut oppositionem. Hinc duplex actus memoriæ distinguitur. Alius est recordatio, qui alterius obiecti recordationem non supponit, (memoriæque arrogato sibi potentiæ vocabulo, dici solet.) Alius est rem. nescientia in discursu quodam memoratiuo consistens; quando scilicet intellectus per recordationem vnius obiecti excitatur ad recordationem alterius. De quibus omnibus plura loco citato diximus. Quæ ad rem recolenda.

3. Modo ex his infero, & suppono secundò ad memorandum obiectum antea intellectum duo omnino requiri. Primum, quod conseruetur in intellectu (qui prout est potentia memoratiua memoria dicitur) species impressa obiecti memorandi. Secundum, quod talis species excitetur ad causandam recordationem. Vnde quæcumque iuuerint ad vtrumque ea utique ad memorandum obiectum antea intellectum iuuabunt. Ex quo rursus colligitur artem vniuersalem memorandi in vtrumque debere tendere, præbendo regulas ad vtrumque.

4. Porro ad conseruandas in memoria species impressas memoratiuas nonnulla conferunt. Primò immunitas ab infirmitatibus, quæ huiusmodi species delere solent: à quibus proinde cauendum est volenti illas conseruare. Secundò medicamenta quedam, ut confectio anacardina & aliæ huiusmodi. Quibus cum magno delectu & non sine peritorum Medicorum consilio vtendum est volentibus per medium istud iuuari: quia, ut fertur, medicamenta eiusmodi plus solent nocere, quam prodesse. Tertiò & magis connaturaliter confert ipsarum specierum intensio. Quo enim illæ sunt intensiores eo firmius hærent & magis durant, intensio autem earum nascitur tum ab intensiōe intellectiōum, per quas primo gignuntur, tum à repetitione similium circa eadem obiecta. Quare qui voluerit aliquorum obiectorum species memoratiuas intensas atque adeò diuturnas facere, quo illorum postea possit cum opus fuerit recordari: intelligat illa à principio consideretque intense, & attente, deinceps verò eorundem similem intellectiōem, seu consideratiōem frequenter iteret, & repetat. Neque videtur aliud præterea excogitabile documentum ad retinendas, & conseruandas in memoriā memoratiuas species impressas.

5. Cæterum quia illæ quantumuis diuturnè conseruata nihil ad recordandum proderunt, nisi excitentur, ac veluti compellantur ad causandam recordationem suorum obiectorum, sequitur nunc examinandum, qua industria & arte id fieri possit. Pro quo.

6. Suppono tertiò eas specierum excitatiōes quæ immediatè sunt per aliquam alterationem physicam, aut per aliquem affectum appetitus vel voluntatis, vix, aut ne vix quidem posse sub artem, siue sub certas regulas cadere: quia valde sunt irregulares, valdeque nobis occulta earum causatio, vt pote oriūda ab aliqua occulta sympathia, quam tales alte-

rationes vel affectus habent cum speciebus, quæ excitantur aut cum earum obiectis. Quare eis prætermisiss.

Suppono quartò circa cæteras, quæ immediatè sunt per cognitiōes, quando videlicet cognitio vnius obiecti excitat speciem alterius, ad eas imprimis valde conferre ordinem temporis, secundum quem successiue cognoscuntur obiecta memoranda, successiueque subinde eorum species memoriæ affiguntur. Namque quo ordine illa memoriæ successiue mandantur, eodem promptè repetuntur cum nequeunt ordine inuerso repeti: oportet verò, quo repetantur ad verbum quando sunt multa, multoties illa sub eodem ordine eorundem intellectiōibus seu conceptionibus multoties interatis percurrere. Ita tamen ut quo memoria scilicet, promptiorve sua natura est, eo paucioribus indigeat huiusmodi iterationibus. In quo magna est memoriarum varietas, & inæqualitas. Quæ omnia cunctis ex experientia ipsa sunt manifesta.

Deinde quod maximè confert ad memorandum est ordo locorum, in quibus esse concipiuntur obiecta memoranda. Nam cum aliquid in aliquo loco concipimus atque adeò mentaliter reponimus, promptum est nobis illud in eo loco inuenire, quoties ad illud ibi querendum redimus. Proindeque si pluribus locis alias seriatim ordinatis plura mente locemus facillimè ea suo ordine, dum tales locos mente percurramus, inuenimus: atque memoriter repetimus. Oportet autem illorum singula corporea esse, & quantitatis satis sensibilis, figuræque diuersæ ut facilius imaginatione, & consequenter intellectu capiuntur, atque inter se se discernantur. Quoties quæ insensibilia fuerint aut perphantasmata sensibilis (per quæ tanquam per substituta connaturaliter concipiuntur à nobis iuxta doctrinam disput. 2. q. 3. supra traditam, & sæpe in hoc opere repetitam) in locis reponenda sunt; aut, quod latius est, per alias imagines siue figuras extraordinarias, & arbitrarias, quæ postea in locis ipsis mente reuise promptissime excitent recordationem illorum obiecti aliquam notabilem cognatiōem, aut oppositionem, quam habent cum illis. Cognatiō siquidem cuiusvis generis, præsertimque analogiæ, & oppositiō obiecti cogniti cum cognoscendo valde est huius recordatiōis excitatiua, ut iam notauimus.

Atque in hac quidem proprietate memoriæ nostræ per experientiam deprehensa fundatur Ars illa celebris memoriæ localis, cuius beneficio quilibet memoriæ mediocri, vel semel auditis, aut lectis obiectis quam plurimis, ex tempore valet omnia illa cum securitate repetere siue memoriter recitare, idque tum ordine eodem, quo sunt percepta, tum innerto, tum variè interpolato, qualiter à nemine quantumuis scilicet memoriæ, sine dicta Arte possunt repeti. Per Artem enim istam, ut optimè notauit Cic. lib. 3. Rhetorica. Veluti scribitur quod percipitur, ut postea quasi legendo scriptum integrè, securèque recitetur. *Locum enim, inquit, cetera, aut charta simillimi sunt imagines literarum dispositio, & collocatio imaginum scripturarum, pronuntiatio lectio, Quenadmodum igitur qui literas sciunt, persunt illud quod dictum est scribere, & recitare quod scriptum est. Ita qui hanc Artem didicerunt, quæ auditum in locis collocare: & ex his memoriter pronuntiare.*

Ex dictis constat generatim, per quæ media Memoria nostra iuuari possit tum ad conseruandas species memoratiuas tum ad eas excitandas pro efficiendis recordationibus obiectorum quorum cupimus recordari. Sequitur nunc ut speciatim tractemus de Arte in hac materia speciali, nuperimèque indicata

indicata memoria localis à paucis quidem nunc
vltat, & ob id à plerisque ignota, aut etiam despe-
ctas; sed plane mirabili, & inter antiquiores Rhetor-
es celeberrima plurimique æstimata; adeò, vt de illa
dixerit Quintilian. orat. lib. 11. cap. 2. *Nesciretur
enim quanta vis eius esset, quanta diuinitas, nisi in
hoc lumen orandi vim intulisset, non enim modo re-
rum, sed etiam verborum ordinem præstat; neque ea
parca contexit, sed propè in infinitum; ita vt in lon-
gissimis actionibus prius audiendi patientia, quam
Memoria fides deficiat.* Huius Artis primus inuen-
tor dicitur fuisse Simonides Cius Poeta Lyricus, vt
referunt Cic. lib. 2. de orat. & Quintil. supra. Quam
tamen postea multi illustrarunt, fuisseque præceptis,
& regulis perfecterunt. Cuiusmodi sunt ipse Cic.
lib. 3. ad Heren. & Quintil. orat. lib. 11. citato. Arist.
in lib. de Memoria, & Reminisc. & ibi S. Thom.
D. Antoni. Franciscus Petrarcha, Petrus Rauenate,
Abbas Trithemius Albertus Magnus, Thomas
Roselius Dominicanus, Laurentius Guillelmus,
Iacobus Sulpicius, Ioannes Romberghus, Franciscus
Monleus, Ioannes Baptista Laporta, Antonius
Rauenate, Doctor Ioannes de Aguilera, Iordanus
Brunus. Nostri Cyprianus, & Castrus in suis Re-
thoricis. Philippus Gesualdus Franciscanus in sua
Plutosophia. Lambertus Schenchelius, Ioannes
Austrianus, Hyeronimus Marafiotus, Ianus Fas-
phorus in sua Crisi Memoria, & tandem Sermonè
Hispano D. Ioannes Velazquez de Azebedo in suo
opulo cuius titulus, *El Penix de Minerva y Arte
de memoria.* Inter quos Auctores licet quoad sub-
stantiam Artis non sit dissidium; quoad circumstan-
tias vero, regulas, & praxiseius est aliqua varie-
tas, qua tamen prætermissa breuiter ego cuncta ad
Artem ipsam spectantia carabo exponere, prout
magis consentaneum rationi, & experientie vi-
debitur.

11. Et quoniam hæc Ars, vt ex Cic. tetigimus, ars
quædam est scribendi mentaliter, postmodumque
scripta legendi, ita quidem vt papyrus sint loci;
literæ, siue dictiones imagines rerum scribenda-
rum, & legendarum; scriptio collocatio ordinata
ipsarum imaginum in suis locis, & lectio repetitio,
sen recitatio ipsarum rerum antea scriptarum. De
singulis sigillatim dicemus per sequentes propo-
sitiones.

Propositio 1.

Exponere quinam, & quales sint loci idonei ad
exercitium Artis Memoriae localis.

12. Suppono sermonem hic esse de locis physicis, &
propriis, vt sunt Vrbes, Oppida, Tempia, Domus,
Cubicula, &c. eosque debere ad propositum diuidi
in quatuor genera. Nempe in Sphæras, & Fragmen-
ta Sphærae in Transcendentiaque & Articulos Trans-
cendentis. Itaque vt Sphæra dicatur quilibet
locus magnus suis terminis circumscriptus, ex pluri-
busque paruis compositus, vt ampla Domus alicuius
conuentus religiosi, aut alicuius Collegij, aut
alicuius Principis, & alia eiusmodi Edificia. Trans-
cendentia vero appellantur singula parua loca ex
quibus coalescit Sphæra, vt Cubicula, Cellæ, Offici-
na, Pergulæ, Hortus, Complutia, &c. Fragmentum
autem Sphærae dicatur quæcumque pars eius
composita ex viginti Transcendentibus seriatim po-
sitis continuatque intra ipsam. Articuli denique
transcendentis quatuor anguli eius & centrum.
Vnde quoduis transcendens constabit quinque
articulis, & quoduis Fragmentum Sphærae viginti

Pharus Serent. Tom. 11.

Transcendentibus, atque adeo centum Articulis
eorum, qui sunt totidem loci, & quæuis Sphæra
aliquibus Fragmentis, & consequenter aliquibus
centenariis locorum, pluribus, aut paucioribus
iuxta compositionem eius, & amplitudinem.

Et quoniam eiusmodi loci aut possunt esse veri,
aut ficti, aut mixti ex veritate, & figmento, scire
opus est, quo magis illi fuerint veri, magisque
noti per sui repetitam visionem, eò fore aptiores
ad vium Artis. Quemadmodum, & quæ magis fue-
rint diuersi inter se. Quia quæ ipsis oculis visa sunt,
& valde notabilem inter se diuersitatem habent, ea
vtique promptius, facilius, atque distinctius sub
nostram imaginationem cadunt firmitusque ab illa
retinentur, & clarius discernuntur. Vnde magna
aliqua Domus ex pluribus paruis per earum aggre-
gationem composita (cuiusmodi sunt aliqua Re-
ligiosorum) aptissima Sphæra est ad propositum,
vtote continens intra se Transcendentia multa
cum multa varietate, & diuersitate. Quorum sin-
gula insuper quo aptiora sunt, sufficienter debent
esse luce perfusa, saltem quando videntur, ita vt
facile appareat quidquid est intra; cum huiusmodi-
que claritate cum qua visa sunt, debent semper in
Imaginatione, siue in Memoria retineri. Debent
etiam Transcendentia esse mediocris magnitudinis.
Nam prætermodum ampla vagas reddunt imagi-
nes, & nimis angusta sæpe illas non capiunt.

Electa autem aliqua huiusmodi Sphæra attentè
imprimis est perlustranda, omniaque & singula
Transcendentia eius ipsis sunt oculis accuratè inipi-
cienda; incipiendoque ab aliquo ex extremis se-
riatim inde sunt imaginatione ordinanda, & suis
numeris designanda quo ordine ipsa re vera conti-
nuata sunt, ita vt secundum sit quod sequitur im-
mediatè post primum, & tertium quod sequitur
immediatè post secundum, & ita deinceps, donec
percurrantur viginti, quæ primum componunt
Fragmentum Sphærae. Indeque sub altero numero-
rum ordine percurrantur siueque numeris designa-
buntur, pariter alia viginti quæ secundum com-
ponent Sphærae Fragmentum; similiterque proce-
detur donec finiatur omnia Transcendentia infe-
riora, quæ primum & infimum solum, seu pau-
imentum Sphærae occupant. Vt autem ab vnoquo-
que Transcendente ad sequens immediatum faci-
lius queat imaginatione transire, si re ipsa non est
ianua, per quam transitus fiat, imaginatione sin-
gatur. Ita vt in quoduis transcendens per vnam
ianuam aut veram, aut fictam intretur, & per
alteram illi oppositam ad sequens transeat. Intra
vnumquodque autem Transcendens eius Articuli
qui sunt quatuor anguli, & centrum eo ordine
sunt percurrendi, & numerandi vt post ingressum
angulus qui est ad dexteram sit primus, secundus
angulus, qui in eodem latere sequitur, tertius
alter qui sequitur immediatè sequentis lateris:
quartus angulus post ingressum sinister, & quin-
tus centrum siue pars media Transcendentis, qua
pergendum per portam oppositam ad sequens
Transcendens. His ita ordinatis supra infimum
pauimentum Sphærae, ex vitino eius Transcen-
dente per ianuam quandam fictam in tecto eius
ascendendum est ad primum Transcendens pau-
imenti immediatè superioris, incipiendoque ab
illo omnia in eo pauimento superstructa similiter
sunt percurrenda, ordinanda & suis numeris
designanda. Tantundemque fiet in tertio, &
supremo pauimento si forsitan illud habuerit
Sphæra. Quo omnia Transcendentia in ea con-

Hh 2 tenta

tenta manebant ordinata, & suis numeris designata & distincta.

- 15 Hoc ita factum, tota hæc locorum Sphæræ ordinatio, atque numeratio diligenter est Memoria, atque Imaginationi mandanda, multoties illam mentaliter percurrente, seu repetendo atque etiam ipsis oculis, quoties fieri possit, reuifendo. Ut quam promptissime, cum opus sit, possint loci eius imaginatione percurrere, tum ordine recto, tum inuerso, tum quouis modo interpolato, siue per saltus; eademque promptitudine possit signari numerus cuilibet loco correspondens, incepta numeratione à principio, quod facile fiet supponendo in quolibet Transcendente quinque locos includi supradicto ordine numeratos. In quolibetque Fragmento Sphæræ viginti Transcendentia, sciendoque cuius Transcendentis & cuius Fragmenti Sphæræ sit locus signandus. Itaque quanto maiorem facilitatem, & promptitudinem studio per otium comparatam circa ista omnia quis præhauerit, tanto maiore cum promptitudine, fructu, & aliorum admiratione in usu Artis postea se exercebit ex tempore.

Adnotandum præterea est primo, si inter ordinandum Transcendentia aliquid ultra modum amplum aut longum occurrerit, expediens fore, ut diuidatur in duo vel plura suis cuique terminis imaginatione præscriptis: sicut è contra, ut ex duobus fiat vnum quando illa nimis angusta, seu nimis arcta fuerint. Secundò, cui ad vltimam Sphæræ loci satis non fuerint, facile eum posse duas, aut plures eligere, earumque locos, ut diximus, ordinatos paratofque in Memoria, & promptos habere. Tertiò, omnia ferme quæ circa præsentem propositionem tradidimus, diserte tradidit Cicero, lib. 3. ad Heren. supra citato.

Propositio 2.

- 17 Exponere quam & quales sint Imagines idoneæ ad exercitium Artis Memoriae localis.

Imagines sunt formæ, & nota, & simulacra eius rei, quam meminisse volumus. Ut definit Cicero loco nuper citato. Atque adeo quæ collocatæ in locis, de quibus egimus *Propositio* 1. rerum pro quibus ibi ponuntur, recordationem causant, dum reuifuntur, ad quod munus, ut sint idoneæ, & corporeæ, & quantitatis satis visibilis esse debent. Quæ tamen neque adeo sit magna, ut multum occupet, neque adeo parua ut cum difficultate discernatur. Eò autem aptiores erunt ad propositum, quod magis exquisitæ, & extraordinariæ fuerint: vel quoad figuram, vel quoad situm, vel quoad colorem, vel quoad aliquam actionem, aut passionem; vel quoad alias circumstantias sensibiles.

- 18 Diuidi autem potest Imago primo in identicam, & symbolicam. Identicam dicimus, quæ ipsa est distincta à re memoranda, ut quando ponimus in locis res ipsas corporeas, quarum recordationem prætendimus, veluti homines, equos, canes, gladios, scellas, mensas, &c. Symbolicam autem appellamus, quæ pro re memoranda à se distincta subrogatur, ut illam notificet ratione alicuius cognationis, aut oppositionis, quam cum illa habet. Velut cum ponimus in locis pro fortitudine feminam diserpentem leonem, aut leonem ipsum, pro celeritate restudinem; pro rege Sinarum hominem cum veste talari variegata, & regia corona, &c.

Deinde Imago symbolica alia vera est, alia ficta, alia mixta. Vera quia cum sit res vere existens pro alia memoranda subrogatur. Ficta, quia verè non datur, sed imaginatione confingitur, ut rem aliam notificet, & mixta quia ex parte datur vera, & ex parte fingitur. Ut si sit quid verum quoad substantiam, & fictum quoad aliquod accidens; vel vice versa, &c. quæ etiam diuisione suo modo diuidi potest imago identica in veram, & fictam, & mixtam; quatenus eorum quæ recordari intendimus quædam vera, & quædam ficta, & quædam mixta esse possunt.

Quoniam autem obiectorum memorabilium duo sunt genera, rerum videlicet, & verborum, utrorumque dari possunt imagines. Atque ita omnes prædictæ rursus in Imagines rerum, & Imagines verborum diuidi possunt. Imagines autem verborum, aut possunt esse verborum significatiuorum, quorum significatio nobis est nota aut verborum vel nihil significatiuorum, vel habentium significationem nobis ignotam. Dico autem omnes Imagines prædictas aut rerum aut verborum esse posse: quia sicut imaginum rerum ita & verborum alia identicæ, alia symbolicæ esse possunt, & hæc aut veræ, aut fictæ, aut mixtæ, nam sicut res, ita & verba vel per se ipsa possunt scripta poni in locis in ordine ad sui recordationem, vel per aliud quid denotantia.

Quia tamen verba scripta per imaginationem in locis ipsis litteris Alphabeti vulgaris, quibus in libris scribuntur parum pungunt Memoriam, parumque idonea ut sic euadunt ad sui recordationem; idcirco Alphabeti symbolica componi possunt in quibus singulæ litteræ per singulas Imagines symbolicas significantur, & quæ parata & in promptu habeantur ad scribenda imaginariè in locis quælibet verba per tales litteras symbolicas per tales Imagines symbolicas litterarum ac si essent ipsæ litteræ. Quæ quidem Alphabeti varia possunt excogitari. Sit primum in quo litteræ denotentur per res quarum nomina incipiunt ab ipsis ut A. per Aquilam. B. per Bos. C. per Cistam. D. per Denarium. E. per Epistolam. F. per Fel. G. per Gallum & in cæteris pariter. Secundum in quo litteræ significantur per personas notas, quorum nomina incipiunt ab ipsis ut A. per Alphonsum. B. per Blasium. C. per Claudium. D. per Didacum. E. per Edmundum. F. per Franciscum, & sic de reliquis. Tertium, in quo litteræ significantur per personas quarum munera nomina habent incipientia ab ipsis. ut A. per Abbatem. B. per Barbitonforem. C. per Chirurgum. D. per Doctorem. E. per Exorcistam. Pariterque de cæteris. Quartum (quo utebantur Antiqui) in quo litteræ denotentur per partes corporis humani cuius nomina incipiunt ab ipsis, ut A. per Auriculam. B. per Barbam. C. per Caput. D. per Dentem. E. per Extremum. F. per Frontem. G. per Guttes. Quintum denique in quo singulæ litteræ, &c. Quantum denique in quo singulæ litteræ, &c. maiusculæ scilicet, per singulas res eis adiectas, quoad figuram significantur, ut A. per Cimices quoad figuram significantur, ut A. per Cucurbitam sibi tumidam subapertam. B. per Cucurbitam sibi tumidam. C. per Semircirculum. D. per Balistam. E. per Trigentem, &c. Habens itaque familiare quæ in Memoria promptum valdeque familiare sibi quoad yltimam aliquod huiusmodi Alphabetum per eius figuras tanquam per litteras potest quoduis vocabulum etiam non significatiuum, vel significationis ignotæ in locis imaginariè scribere.

Disp. XXXII. De Memoracione. Quæst. I. 365

bere ita, ut facile illud per ipsas postea recitas legere atque adeo meminisse possit.

22 Quemadmodum autem litteræ ita & characteres numerorum per suas imagines symbolice sunt denotandi ponendique in locis, cum opus fuerit ad promptiorem sui recordationem. Habendus itaque in promptu est catalogus huiusmodi imaginum arbitrarie electarum pro decem simplicibus Characteribus. Nimirum Pro 1. Esse poterit avis Phoenix ut pingi solet. Pro 2. Duo caleci. Pro 3. Triangulus. Pro 4. Quadratum ligneum. Pro 5. Manus quinque digitorum. Pro 6. Alia manus cum vno calamo. Pro 7. Alia manus cum duabus perdicibus. Pro 8. Cubus cum octo angulis solidis. Pro 9. Chirotheca intra quadratum. Pro 10. Sphæra vitrea vel argentea. Ceteri namque reliquorum omnium numerorum ex aliqua istorum collectione resultant, ut est notum: per hæcque signa subinde vel alia eiusmodi varie collecta poterunt designari, in locisque pro sui recordatione poni.

23 Postremo Imago in simplicem, & complexam diuidi potest, rursusque simplex in integram & fractam. Atque adeo etiam complexa rursus in complexam ex simplicibus integris, & complexam ex fractis & complexam ex vtriusque. Dico autem simplicem quæ vnica tantum res est aut vnicum vocabulum, integram quidem, quando res integra aut integrum vocabulum in loco ponitur; fractam verò, quando dumtaxat ponitur rei aut vocabuli Fragmentum, ut caput hominis, dimidium corpus leonis, & huius vocabuli: *oramus* pars *ora*, aut pars *mus*, &c. Unde patet quæ sint complexæ quous ex dictis tribus modis.

Propositio 3.

24 Exponere qualiter collocandæ sunt in locis Imagines ad quævis obiecta memoranda. Ad idque regulas aliquas generales præbere.

Multi Græci, qui de Arte ista scripserunt, ut refert Cic. lib. 3. *Rhetoricæ*. Volebant, ut sicut ad eius exercitum præcedit præparatio locorum, qualiter diximus *Proposit. 1.* sic quoque præcederet præparatio Imaginum ita, ut ante vsum Artis haberet quisque in promptu pro singulis obiectis, quæ memoranda possent occurrere, singulas Imagines iam designatas stabiliter & fixæ, uti habere debet aliquot locos fixos & stabiles iuxta ibi dicta. Hoc tamen moraliter saltem est impossibile: quia obiecta, quæ memoranda possunt occurrere, prope infinita sunt: totidem autem Imagines habere in Memoria promptas ad vsum impossibile est saltem morali. Ob id Sinæ, qui per singulas figuras designabant immediatè singula obiecta scibilia, integram Artem scribendi; & legendi per integram vitam, quantumvis longam, nequaquam poterant addiscere. Hoc vnum in hoc arte, sicut in Arte nostra scribendi legendique scripta per litteras, possibile est: habere scilicet in promptu alphabetum aliquod symbolicarum litterarum ex iis quæ indicauimus *Propositione 2.* per easque symbolicas litteras mentaliter scribere in locis cuncta obiecta me-

Pharus Scient. Tom. II.

moranda; sicut per veras litteras realiter scribuntur in papyro cuncta obiecta scienda, significatis videlicet per vtriusque litteras dictis obiectis non immediatè sed mediis ipsorum vocabulis ex illis compositis, quæ totidem sunt quot obiecta, tametsi litteræ ex quibus coalescunt sint tantum 23.

25 Caterum quia ex vna parte scriptio hæc mentalis: symbolica cunctorum obiectorum memorandorum in locis eorundemque memoratiua lectio siue repetitio operosa nimis esset, & impedita, eximiumque postuleret vsum, ut practicè fieret: ex alia verò parte ob nimiam earundem Imaginum earundem litterarum (tametsi pro diuersis componendis vocabulis) repetitionem maiori ex parte non possent memoriter legi in locis reuisis, quæ in ipsis antea mentaliter fuerant scripta quo totus labor impensus fieret cassus: quia quod maximè ad recordationem confert diuersitas Imaginum citra earum repetitionem est. Idcirco quamquam hæc Ars eiusmodi mentalem vocabulorum per litteras symbolicas scriptionem in locis omnino non respuat, sed eam quandoque amplectatur, ad proximè deducat pro aliquibus memorandis vocabulis aut ignota significationis, aut nullius, vel etiam interdum pro aliis vsum. Pro cæteris verò obiectis memorandis regulariter eâ non vtitur, sed altero scriptionis genere per imagines immediatas ipsorum obiectorum: cumque ista tot, quot obiecta, atque adeo prope infinita sint, conficitur earum præparationem non debere præcedere, sed ab vnoquoque pro nata occasione ex tempore excogitandas & eligendas, & in locis ponendas esse pro obiectis quorum tunc prætenditur acquiri recordatio. Ad quod præstandum rectius & aptius sequentes regulæ generales iuuare poterunt.

26 Prima. Quando res memorandæ per se ipsas possunt mentaliter poni in locis, eò quod corporeæ sunt, idoneæque ad id muneris quantitatis, ponendæ vtiq; sunt per se; addetur tamen eis, cum opus fuerit ut viuidiùs pungant Memoriam aliquod extraordinarium, siue insolitum accidens vel situs, vel coloris, vel actionis, &c. Ut si volo recordari canis, ponam in loco canem ipsum vel stantem in duobus pedibus, vel è sublimi appensum per caudam, vel mordentem lapidem, vel aliter. Pariterque megeram in cæteris.

27 Secunda regula. Quando res memorandæ sunt actus significati per verba aut per nomina verbalia quorum subiecta sunt corporea per seque ponibilia in locis iuxta regulam primam, ponenda ipsa subiecta sunt sub ea tamen forma essendi, situ, aut aspectu, quo solent esse, quando tales actus exercent. Ut si volo recordari actus orandi, seu orationis, ponam hominem flexis genibus, & iunctis manibus, & oculis eleuatis in cælum. Si actus legendi, seu lectionis, ponam hominem sedentem attentè que insipientem librum apertum, & in cæteris pariter. Poterunt etiam multi eiusmodi actuum denotari per alias Imagines symbolicas, quemadmodum regula sequente denotanda dicemus obiecta insensibilia.

18 Tertià regula. Quando res memorandæ insensibiles sunt, aut alias ineptæ, ut per se ponantur in locis, Imagines aliæ symbolice sunt

H h 3 pro

pro illis ponenda idonea ad causandam reuise recordationem illarum ratione alicuius cognationis siue necessitudinis, aut alicuius oppositionis, quam cum illis habent. Quævis enim cognatio, ut est similitudo quævis, siue analogia, quævis æqualitas, quævis habitudo aut causæ cuiusvis generis ad effectum, aut effectus ad causam, aut totius cuiusvis generis ad partem, aut partis ad totum, aut possidentis ad possessum, aut possessi ad possidentem, &c. Nec non quævis opposito cuiusvis generis, quam habet vnum obiectum cognitum cum alio quopiam connaturaliter excitat recordationem huius: ut dicebamus supra numero 2. & 8. quod maxime est verum, quando ex industria assumptum est primum & subrogatum pro secundo, ut huius recordationem excitet, ut euenit in proposito. Itaque pro memorando tempore senex alatus manutens horologium ponitur in loco. Pro memorando anno coluber sugens suam caudam, quod erat hieroglyphicam Ægyptiorum. Pro singulis mensibus anni aut singula signa Zodiaci eis respondentia, scilicet Aries, Taurus, Gemini, &c. aut aliæ figuræ, per quas illi vulgo solent significari deumpta a terræ fructibus eis respondentibus. Pro memoranda fide femina manu tenens custodiam SS. Eucharistiæ, quæ fidei dicitur Mysterium. Põterit poni pro memoranda spe femina viridi colore vestita. Pro memoranda charitate femina amplexans multos paruulos. Pro sonitu memorando ponemus cymbalum. Pro memoranda auaritia senem abicondentem pecunias. Pro memorando exercitu militem. Pro anima rationali hominem. Pariterque pro cæteris quibusque huiusmodi obiectis memorandis vnusquisque eliget Imagines quæ sibi visæ fuerint aptiores, ex iis quæ affatum illi occurrunt, statim atque aduerterit animum ad obiectorum memorandorum analogata, causas, effectus, contraria, contradictoria, tota, partes, ac demum quouis modo cognata, opposita, vel correlata. Pro quo multum proderit multorum Hieroglyphicorum Emblematum, Enigmatum, Parabolarum, & cuiusvis generis Translationum notitiam comparasse.

29 Quarta regula. Quæcumque sunt idoneæ Imagines pro memorandis vocabulis earum rerum, quæ per se in locis non sunt ponibiles iuxta dicenda postmodum, idoneæ quoque sunt pro memorandis rebus ipsis: quia quæcumque notificant vocabulum notæ significationis & ipsam rem significatam per illud consequenter notificant, ut constat. Siquidem nos vocabulis pro rebus utimur; imò aliud non est memoriter nos recitare res, quam recitare vocabula significantia illas, & hæcenus de collocatione Imaginum pro memorandis rebus prout condistinctis à verbis siue vocabulis. Ergo ad collocationem Imaginum vocabulorum Pro qua est primo.

30 Quinta regula. Quoduis vocabulum per se ipsum potest mentaliter poni in loco pro se ipso commemorando scriptum, scilicet in papyro litteris tantæ magnitudinis, quæ facile videri possint. Hoc tamen licet interdum fieri possit, præsertim quando vocabula paucis litteris constant, frequenter tamen non ex-

pedit, tum quia litterarum repetitio in multis vocabulis confusionem pariet, tum quia istud genus Imaginum parum irritat memoriam, atque adeo non est securum.

Sexta Regula. Quoduis vocabulum litteris symbolicis alicuius ex Alphabetis indicatis *Proposuit*. x. scriptum in locis poni potest pro ipsius recordatione. Qui modus inscriptionis aptior est quam per veras litteras. Atque adeo paulo frequentius potest in vsum trahi, præsertim pro memorandis vocabulis, aut ignota, aut nullius significationis. Pro quibus fortasse aptior ille est cæteris postmodum recensendis: opus tamen est ad eius vsum, ut alphabetum per otium sit preparatum, probeque scitum, & in promptu, frequenterque trahatur in vsum, ut huius acquiratur facilitas, prout iam supra tetigimus.

Septima Regula. Quando vocabula sunt notæ significationis, & res quas significant, sunt per se ponibiles in locis iuxta regulam primam, ipsæ res sunt idoneæ Imagines, sicut pro sua, ita & pro suorum vocabulorum recordatione: quia vna cum re vocabulum notum eius promptissime innotescit, ut constat.

Octava Regula. Quando vocabula sunt notæ significationis, & res quas significant non sunt per se ponibiles in locis, sed per Imagines alias symbolicas iuxta regulam tertiam, Imagines ipsæ idoneæ ad talium rerum recordationem causandam iuxta dicta *ibi*, & ad causandam recordationem dictorum vocabulorum ipsarum idoneæ sunt propter rationem regulæ præced.

Nona Regula. Quoniam sicut res, ita & vocabula suam inter se cognationem aut oppositionem habent, ratione cuius cognitio vnus est excitatiua cognitionis alterius: pro memorando quouis vocabulo siue notæ significationis siue ignora aut nullius, idonea Imago est res significata per alterum habens cum illo aliqualem cognationem aut oppositionem, positaque in loco aut per se, iuxta regulam primam, aut per aliud sui symbolum iuxta tertiam. Quia dum talis res sub recordationem cadit, prompte fert secum recordationem sui vocabuli, quæ subinde excitat recordationem alterius cognati, aut oppositi. Sic pro memorando hoc vocabulo *Marsupium* in loco poni potest *marsupium* habens vocabulum illi ad simile: & pro memorando hoc vocabulo *Melisa* in loco poni potest *Mensa* habens pariter vocabulum illi ad simile, & pro memorando hoc vocabulo *Occidit*, penultimâ breui in loco poni potest homo occidens alterum, cuius actus vocabulum *Occidit*, penultimâ longâ in eo est oppositum alteri.

Sed est notandum circa regulam istam. Primo in vfu explicato eius posse nos uti aut compositione, aut diuisione vocabulorum: compositione, ut si pro memorando hoc vocabulo *Suffragamus*, ponantur in loco tres illæ res *sus*, *pyra*, & *mus*, quarum tria vocabula iuncta ferme component illud: diuisione, ut si pro memorando hoc vocabulo *Abbas*, ponatur dimidium corpus Abbatissæ denotans dimidium sui vocabuli.

Secundo, quia analogia vocabulorum quæ

(quæ ferme vnica est eorum cognatio) tum maxime adest quando vocabula aut sunt ferme æqualia: quia vna tantum littera aut syllaba se excedunt, cum sint in reliquis exacte similia vt hæc duo *pannus*, *annus*, aut sunt ferme similia: quia vna tantum littera vel syllaba dissimulantur; cum sint in reliquis similia, quoad numerumque æqualia; vti hæc *Candores Cantores*, aut sunt ferme similia simul, & ferme æqualia: quia vtrumque habent, vt hæc *erectus, electus*. Quæ parua vocabulorum discrimina aut possunt esse in eorum principio, aut in medio, aut in fine. Oportere quod omnia hæc capita eorum perspecta habeantur, & in promptu, vt dato quouis vocabulo memorando, prompte inueniri queat aliud aliquo ex dictis modis analogatum illi cuius subinde significatur pro illius recordatione obtinenda imago esse possit: expediet tamen maioris securitatis gratia, vt littera, vel syllaba, quoad quam descriptantur vocabula, per litteram aut syllabam symbolicam alphabeti præparati in super adnotetur.

37 Tertiò est notandum. Pro recordatione clausulæ ex pluribus vocabulis compositæ aliam eandem, aut fere eandem syllabarum, sed diuersorum vocabulorum cum suis significatis assumi posse: vt si pro recordatione huius clausulæ *Mone tamen sanare spes*. Hæc assumatur, *Moneta mensa naves pes* ponanturque in locis significata vocabulorum eius quæ longè sunt diuersa à significatis vocabulorum prioris; cum tamen vtriusque syllabæ eadem sint.

38 Quartò. Qui scit plures linguas ad memoranda vocabula vnius omnibus modis dictis alterius vocabulis vti posse: imò eo vberius vnicuique occurrunt vocabula analogata, aut opposita memorandorum quo plures ille linguas scierit debet tamen scelerter aduertere ex qua lingua sumit vocabula ne decipiantur, aut etiam ad id discernendum signum aliquod superaddere.

39 Quintò denique notandum est. Quando vocabula memoranda sunt notæ significationis, quot modis iuxta istam regulam in eorum recordationem venit eisdem veniri promptissimè in recordationem rerum significatarum per illa. Proindeque tum vocabulorum, tum rerum memorandi regulam esse: quia memorato vocabulo notæ significationis promptissimè cadit in Memoriam res significata per illud, iuxta ea quæ dicebamus *regula quarta*.

40 Decima regula. Pro memorandis particulis coniunctiuis, disunctiuis, illatiuis, causalibus, exceptiuis, reduplicatiuis, præpositiuis, & aliis, quas quævis lingua proprias habet, vt, *Et, aut, ergo, sicut, quia, si, præter, prout, pro, ad, &c.* aut vtendum est litteris symbolicis alicuius alphabeti præparati ex indicatis *propositione secunda*. aut, quod alicui ardebit: habendus est earum catalogus cum suis propriis singularum iam designatis præcitisque, & promptis ad usum imaginibus, velut pro particula coniunctiua haberi poterit designata catena, pro disunctiua gladius, vel ferra, pro illatiua ligamen, pro causatiua gladius lucis, pro exce-

ptiua manus separans quodlibet, à quolibet, & pro cæteris pariter. Verum quando plures particule sunt eiusdem significationis aliud insuper signum oportebit addere, quo memoranda in speciali discernantur à reliquis, quale erit littera alphabeti præparati à qua illa incipit, aut aliud æquiualens.

Vndecima & vltima regula. Dum collocatur quævis Imago pro recordatione comparanda seu rei seu vocabuli, bis, aut ter, aut pluries facienda est reflexio, qua iudicetur, mentaliterque repetatur talem Imaginem pro tali obiecto memorando poni, positamque relinqui in loco. Hoc enim maxime confert ad figendam in Memoria Imaginem cum respectu ad obiectum memorandum per illam, & consequenter ad promptam ipsius obiecti postea futuram recordationem. Breuissimèque & facillè id fieri poterit etiam quando collocantur imagines ad repetenda statim obiecta. Quod si inter tempus collocationis, & temporis repetendi aliqua sit considerabilis intercapedo, eximie ad securitatem & promptitudinem repetitionis conferret interim semel, aut bis, aut pluries loca percurrere, mentaliterque repetere, quæ postea vocaliter sunt repetenda.

Propositio 4.

Post exactam præparationem locorum, & 42 ritè factam collocationem Imaginum pro obiectis quibuscumque memorandis connaturaliter sequitur eorum recordatio, & consequenter repetitio.

Quare circa illam solum superest aduertendum, id esse peculiare in hac Arte, & certè mirabile, quod quæ iuxta eam Memoriam commendata sunt non solum directè incipiendo à principio versus finem, sed etiam inuersè incipiendo à fine versus principium repeti possunt. Tum quouis modo interpolatè incipiendo à quavis parte intermedia aut versus finem, aut versus principium, & rursus pariter ab alia saltando ex qualibet ad quamlibet, prout memoranti fuerit libitum, aut à circumstantibus postulatam. Quæ omnia vt fiant tametsi magna opus sit attentione, & affixione imaginationis ad loca, & imagines, curandum nihilominus est id, & Artem ipsam dissimulare, cohibita penitus omni motione siue affectatione exteriori earum, in quas solent prorumpere qui valde intente, & absque vlla diuersione conantur quidpiam imaginari.

QÆSTIO II.

*Quam vim, & energiam habeat
Ars Memoria localis, & qualiter ea in praxim, vsunque deducenda sit.*

QVANTA sit vis & energia huius Artis 43 per ea, quæ de eius effectibus referuntur
Hh 4 ab